

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

HIERONYMI ZANCHII AD CALVMNIAS QVASDAM, CONTRA SE PARTim voce
sparsas, partim scriptis consignatas, RESPONSIO.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

ATQVE hæc omnia dico vobis, vt ne peccetis. At si quis per infirmitatem peccet (non possumus autem non peccare, quamdiu sumus in hac carne) quid fiet? Sequitur: Quòd si quis peccauerit: aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

HIERONYMI ZANCHII AD CALVM-
NIAS QVASDAM, CONTRA SEPAR-
tim voce sparsas, partim scriptis consignatas,

RESPONSIO.

De fine seculi.



QVOD docuerim, nondum instare finem seculi: Calumnia est. Docui: Non posse sciri certò, quãdo futurus sit: fortè citiùs, fortè etiam tardiùs futurum, quàm homines putent.

De Antichristo.

QVOD docuerim, Antichristum, de quo Daniel & Apostolus, non esse pontificem Romanum, ac vniuersum eius regnum & satellitium: Calumnia est. Docui, Nomine Antichristi in Scripturis aliquando intelligi ipsum Antichristi regnum: aliquando ipsam personam, quæcunque illa sit, quæ in eo regnat, quocunque tempore regnet: aliquando verò ipsum postremum tyrannum huius regni, qui κατ' ἐξοχὴν Antichristus appellatur, qui reliquos omnes superaturus sit malitia, hæresibus, tyrannide, hypocrisi, contra Christum: & de hoc Patres locutos fuisse. Quoad regnum: docui, tam regnum Mahometis, quàm Papæ (quatenus scilicet in eo continentur & defenduntur dogmata, quæ pugnant cum doctrina Christi) esse regna Antichristi. Quòd verò ad personas: omnes illos esse Antichristos, qui huiusmodi regna tuentur: hoc est, qui cultum & dogmata cum cultu & doctrina Christi pugnantia defendunt. Quod autè ad illum vltimum Antichristum: publicè in Schola nihil dixi, nisi iuxta sententias Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, futurum quendam insignem nebulonem, qui reliquos omnes iniquitate & hypocrisi atque potentia superet. Deinde etsi non nego, regnũ Papæ esse regnum Antichristi: quatenus in eo permulta defenduntur, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiã non inficior, ipsum Papam, dum regnum illud pugnans cum regno Christi defendit, & doctrinæ Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum: negari tamen non potest (tanquam scilicet probabile) quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in Ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitia, potentia, & aliis vitiis atque sceleribus superet, quique editurus sit miracula. Et de hoc homine aliquis contèdere poterit vaticiniũ illud Iohannis, adde & Danielis de tribus annis cum dimidio, quibus ille regnaturus dicitur: intelligi posse, &c. Legatur meæ lectiones de Fine seculi. Priuatim verò dixi, & nunc publicè dico: illos hallucinari, qui ita restringunt nomen Antichristi ad regnum & ad personam Papæ, vt extra illius regnũ, non sit regnum Antichristi: & extra eius personam, non sint & esse possint, idque in veris etiam Ecclesiis, Antichristi. Apparet enim multos esse Antichristos, qui nõ sunt in regno Papæ. Nam sic didici, omnes illos esse Antichristos, qui oppugnant doctrinam Christi: præsertim qui, cùm sint in Ecclesia, quæ nomen habet veræ Ecclesiæ: sub prætextu veræ Ecclesiæ & ministrorum Euāgelij, apertam doctrinam Christi impugnāt: idque pertinaciter, vtut pro magnis viris & sanctissimis doctif-
simis-

similique habeantur: siue ij sint in Germania, siue in Italia, siue in Hispania. Non igitur se palpent, qui sunt extra regnum Papæ: quasi nō possint ipsi esse Antichristi. Antichristus fuit Arius: qui negauit Christum esse verum Deum. Antichristus fuit Nestorius: qui duas personas ponebat in Christo. Antichristus Eutyches: qui confundebat naturas & proprietates naturarum in Christo. Antichristi fuerunt Pelagiani: qui dicebant, principium salutis esse à nobis, non à gratia Dei: qui negabant ideò saluari homines, quia sint ad salutem prædestinati ex proposito Dei: & dicebant, omnibus ex æquo gratiam proponi, in potestate autem esse nostra, accipere vel reicere gratiam Dei: & non desunt extra Papatum, qui has defendant hæreses. Ergo etiam extra Papatum possunt esse, & sunt multi Antichristi. Ideò Iohannes suo tempore, cū nondum esset Papatus: dixit tamen, Nunc autem Antichristi multi sunt.

Qvòd non satis sit, me aliorum erroribus esse infectum: nisi etiam ipse noua monstra gignam: Proferant vel vnum monstrum: tunc respondebo. Si monstrum appellant dogma de Antichristo: monstrum hoc non ego genui, sed Patres, tam Græci quàm Latini simul.

Qvòd, quia dixi negari non posse, quin sub finem mundi talis aliquis, qualem descriperam, Antichristus venturus sit: obtrudam auditoribus opinionem hanc firmiter credendam, & nequaquam negandam: Calumnia est. Cū dixi, negari non potest: intellexi, vt probabile. neminem enim negare refutarēve posse, quin sit res admodum probabilis, venturum talem Antichristum, cū & à Patribus hoc firmiter asseueretur, & è Scripturis probabiliter colligatur.

DE PRÆDESTINATIONE.

Qvòd, cū doceo de Prædestinatione, ascendam supra cælos in secreta Dei, & inuestigem, quæ sciri nequeant: Calumnia est. Nihil enim de prædestinatione vnquam docui sine verbo Dei, & Patrum testimoniis. Lectiones meæ testes optimi esse possunt. imò cū veni ad argumenta prudentiæ carnis contra prædestinationem: ibi, exemplo Apostoli, dixi non esse audiendam humanam prudentiam contra verbum Dei. Et tu quis es o homo, qui respondeas Deo?

Qvòd omnium electorum & reprobatorum peccata diuinæ adscribam prædestinationi: Calumnia est. Docui, ipsa etiam peccata cadere sub prædestinationem, quatenus scilicet, quia Deus permittit peccata, conclusi: Deum igitur decreuisse permittere: &, quia Deus quosdā excæcat, indurat: Deum igitur decreuisse eos indurare. omnem enim peccati pœnam, quæcunque illa sit, à Deo infligi. omnem igitur peccati pœnam à Deo fuisse prædestinatam. Sed peccatū, quatenus peccatum est, in Deum esse transferendum, perpetuò negaui & refutaui. Prædestinatio enim est tantum eorum, quæ facturus erat Deus. Deus autem non peccat, neque malitiam ad peccandum, cuiuspiam indit: sed contrā punit peccata, verum aliquando aliis peccatis.

Ac proinde, quod faciam Deum non solum βλάττω, sed etiam σύνεργον peccatorum, Calumnia est. Docui semper, Deum prohibere peccata: imò ideo aliquid esse peccatum, quia prohibitum sit à Deo: Non est igitur βλάττης peccatorum. Docui etiam, Deum nō peccare, nec posse peccare, neque etiam malitiam peccandi nobis indere. non igitur est σύνεργος peccati. Docui quidē & doceo secundum Scripturas: Nullam esse actionem, sicut in aliis creaturis, sic nec in homine, siue internam siue externam, cui non cooperetur Deus. Docent enim sic Scripturæ: Deus operatur omnia in omnibus. Item: In ipso (hoc est ipsius virtute & actione) viuimus, mouemur, & sumus. Nullus igitur motus, siue intellectus, siue

siue voluntatis, siue animi, siue corporis: fieri in nobis, aut à nobis potest, qui non fiat virtute & actione Dei in nobis. Et Heb. i. Portatq; omnia verbo virtutis suæ. Et hoc confitemur in Symbolo, cum dicimus: Credo in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilibus omnium & inuisibilibus. Ita enim factorem confitemur, ut & cōseruatorem, motorem, actoremque intelligamus. Et sic Patres omnes & tota Ecclesia Catholica, semper docuerunt. Sed nullo modo consequitur inde, Deum igitur peccare vnā cum homine peccante: vel, efficere ut homo peccet: id quod est esse *σύνεργον* peccatorū. Quod si mei accusatores nesciunt discernere peccatum (quod est *ἀνομία*, & priuatio rectitudinis in actione) ab actione ipsa: non proinde calumniantur me, quod faciā Deum *σύνεργον* peccatorū. Est *σύνεργος τῷ ἔργῳ*, sed non peccati: omne enim *ἔργον*, quā *ἔργον*: bonū est. Omnis autem boni autor est Deus. Imò ideo nos peccamus, quia actiones Dei in nobis, suapte natura bonas, nos nostra corruptione & malitia deprauamus, inficimurq;. Si puer scribendi ignarus, cuius manus à præceptore super papyrū ducatur, inter pingendum, errorē admittat: erroris certē *σύνεργος* nō poterit dici præceptor: quia pueri manum ducat: sed puer tantū, quia manum præceptoris rectē ducentem non vsquequaque sequitur. Deus sua omnipotenti manu & actione omnes creaturas mouet: sed vnāquamque secundum suam naturam. Deus igitur, illius quod in peccato bonum est, nempe actionis in se, *σύνεργος* est: illius verò quod propriè malum est & peccatū, nullo modo *σύνεργος* esse aut dici potest. Lutherus ipse in lib. de Seruo arbitrio, simile adfert equitis, qui claudum equū agit. Motus equi, *σύνεργος* est eques: claudicationis verò, nequaquam. Est igitur calumnia, quod ego Deum faciā *σύνεργον* peccati. Bucerus, præter alia loca, in libro de Recōciliatione Ecclesiarum, fol. 34. vulgatam Theologorum sententiam probat, Omnem humanam actionem ab actione Dei pendere.

BRENT. in Iob. cap. 25. Porro cum dicitur apud Deum esse potestatem: intelligas eum esse omnipotentem, non solum *δυνάμει*, verum etiam *ἐνεργείᾳ*, id est, & potentia actione. omnia enim potest, & omnia agit. Ergo & mala operatur? Maxime: non ex se, sed ex instrumento, per quod operatur. Est enim Deus (ut si dicam) mundi anima, perinde ut in corpore humano anima mouens est. Iam si humana anima corpus debile aut claudum nata fuerit: pergit nihilominus mouendo, & fit motus claudus, nō ab anima, sed à corpore moto. Ita Deus operatur omnia in omnibus. Iā cum operetur in homine velle & facere, homo verò ex peccato ab Adam deriuato, male velit & faciat: fit mala voluntas & opus, non ex Deo operante, sed ex homine deprauato. Proinde quanquam Deus mala operetur, non tamen malitia Deo adscribenda est, sed instrumento male deprauato, &c.

Quòd de prædestinatione doceam, Ita esse certum numerum electorum, ut licet viuant sceleratè; tamē necessariò seruandi sint: & reprobatorum, ita ut licet omnia bona sanctorum opera faciant, non possint tamen seruari: calumnia est. Docui quidem, esse certum quendam numerum electorum ad æternam vitam, qui seruetur necessariò, & certum numerum reprobatorum, qui non possunt nō damnari, quia hoc tradunt Sanctæ literæ, Augustinus, Lutherus, Bucerus, & alij: estque ratio aperta. Certi enim quidam seruantur, & certi quidam damnantur: non enim omnes seruantur, nec damnantur omnes. Ergo Deus decreuit ab æterno, certos quosdam seruare pro sua misericordia, & certos quosdam damnare, iusto suo iudicio: & quia hoc infallibiliter fit, iccirco necessariò fieri. Cæterum illam particulam, *Etiamsi vel illi malè viuant, vel isti optimam ducant vitam*: non solum nunquam adieci, sed etiam refutaui tanquam *ὁρθολογισμὸν* diuisionis. Qui enim ita argumentantur, separant ea, quæ non sunt ieparanda, nempe studiū bonorum operum, à prædestinatione ad vitam, & à cōsecutione salutis: cum sint illius effecta & viæ ad hanc. Paulus enim, qui ait nos esse electos ad æternam vitam, ait etiam, Nos esse electos ad hoc, ut essemus sancti: item nos creaturam Dei esse, creatos

creatos in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Quare ita semper solitus sum retorquere argumentum hoc diaboli. Ille ait, Si tu es prædestinatus, seruaberis, etiam si mala agas: si non es prædestinatus, non seruaberis, etiam si omnia bona feceris. Ego verò: Imò si sum prædestinatus ad vitam, debeo igitur ambulare in vita prædestinatorum, quæ est fides & studium bonorum operum: qui enim prædestinati sunt ad finem, etiã ad media sunt prædestinati. Et huc spectant quædam Lutheri dicta in Genesin, & in Psalmos: quæ in me à nonnullis torquentur: sed non intelliguntur. Scio quidem, Brentium hac locutione vsum fuisse in sua exegefi in Iohan. cap. 15. fol. 360. vbi scribit: Si spectetur diuinus capus & Dei immutabilitas, reprobos non posse saluari, etiam si omnia bona opera Sanctorum faciant. Verùm ego tali locutione nūquam vsus sum, neque etiam vterer. Absit verò, vt credam me non esse ad vitam prædestinatum.

Qvò d statuum, Deum quosdam damnare in æternos cruciatus, & damnare decreuisse, non propter ipsorum peccata, sed ex suo solius placito: calumnia est. Docui perpetuò, neminem damnari sine causa: & causam proximã, in ipso qui damnatur, esse, nempe peccatum, saltem originale, vt in pueris infidelium: sed reprobationem tantum factam fuisse ab æterno à Deo, sine vllò operum malorum respectu, vt docet Apostolus ad Rom. Distinguant igitur reprobationem à condemnatione, seu decretum non miserendi à decreto damnandi: & me non calumnientur.

Qvò d doceam, impietatem creari à Deo: Calumnia est: Docui homines etiam impios creari à Deo, iuxta illud: *Omnia creauit propter semetipsum Dominus, etiam impium ad diem malum*: non autem ipsam iniquitatem. Hæc enim primò per traducem in nos deriuatur ab Adamo: deinde per Sathanam accenditur atque augetur. Iniquitas enim quatenus iniquitas, à Deo nullo modo est, aut esse potest: cum Deus sit ipsum summum bonum, iniquitas autem malum.

Qvò d, cum dico, Deum permittere peccata, ita doceã eum permittere peccata, quasi per hæc permissione nobis liceat peccare: calumnia est. Doceo, Deum permittere peccata, quatenus scilicet non vult impedire, cum possit: non autem permittere, id est, concedere. lege enim semper prohibet peccatum.

Qvò d doceam, præscientiam Dei solam, esse causam simpliciter rerum omnium & euentorum: Calumnia est Sophistica. Si præscientiã capiant pro simplici notitia, vt (verbi gratia) qua Deus nouit se posse creare alterum mundum: nunquam docui, eam esse causam euentorum omnium. requiritur enim necessariò voluntas Dei: alioqui contigisset & contingeret, quicquid simpliciter nouit. Si verò nomen præscientiæ capiatur, quatenus cum illa coniungitur voluntas Dei, (est enim propriè præscientia illarum rerum, quas vel ipse facit, vel fieri permittit) dico, præscientiam causam esse euentorum omnium: sed ita tamen, vt causæ secundæ & proximæ non excludantur.

Qvò d doceam, ita promissiones de æterna salute ad electos tantum pertinere, vt cum Christus ait (verbi gratia) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*: non vocet omnes, sed tantum electos: nec omnibus promittat salutem, sed tantum electis: calumnia est. Doceo, omnes vocari ad Christum, & omnibus promissiones offerri: sed neque omnes venire, neque omnes promissionum complementum consequi: quia non omnes trahantur ad Christum. nemo autem potest ad Christum venire nisi trahatur à Patre: ij verò, sunt tantum electi ad hoc. Proinde promissiones esse quidem vniuersales, sed in solis electis suum habere complementum.

Qvò d ponam in Deo odium quoddam erga reprobos, quasi affectum quendam contrariũ affectui amoris: quod odium Deus nolit placari filij sui *euðokia*, nec

eius sanguine : Calumnia est. Primum, in Deo nullum pono odij affectum : sed odiū Dei, in illo dicto Rom. 9. Esau odio habui, docui nihil esse aliud, quàm propositum non miserendi: sicut amor etiam in Deo non est affectus, sed ipsa benevolentia seu voluntas & propositum miserendi & benefaciendi ac seruandi in æternam vitam. Et Deum aliquem ab æterno odisse, nil aliud esse, quàm Deū ab æterno decreuisse nolle alicuius misereri, sed in suis peccatis eum deserere, & proinde illum iustè punire: Illis verò inauditis verbis (*Deum nolle, ut suum odiū placetur sanguine Christi*) quomodo uti potui, cum ne per somnium quidem mihi in mentem vnquam venerint? Docui quidē, propositum Dei, siue miserendi, siue non miserendi, mutari nō posse: sicut Scriptura docet, *Ego Deus, & non mutor*: sed illa verba portentosa nemo vnquam ex me audiuit.

11. Quid affirmarim, filium Dei velle suam supplicationem esse inanem: Quæ est ista horrenda Calumnia? Imò docui etiā in ea Epistola, quam interpretabar, Iohannis, Christum? pro suis electis tantum orasse, Iohan. 17. cum dixit, *Non rogo pro mundo*: & nunc etiam in cælo pro ipsis intercedere, & ipsius intercessionem esse efficacem, & exaudiri à Patre: & proinde electos perire non posse. Inanis esset, si pro reprobis supplicasset, & supplicaret Patri, cum in ipsis neque passio, neque merita, neque supplicatio Christi vim & effectum suum consequantur: Sed proinde non est inanis, quia pro ipsis tantum electis, qui erant in se credituri & credunt, ita orauit & orat, ut etiam exorauerit atq; perpetuò exoret.

12. Quid fingam, Deum tanquam inexorabilem & rigidum iudicem è tabulis damnationis nomen reproborum nunquam exempturum, neque ipsis vllam gratiam præstiturum: Tam rigidis verbis vsus sū nunquam: Imò docui, Deum suapte natura clementissimum esse, & exorabilem, sed in Christo tantum. Cum igitur reprobi non sint neque electi in Christo, neq; donati Christo, neque redempti per Christum, neq; iustificati in Christo: propterea neq; glorificatum iri, sed ituros ad eum locum, ad quem sunt destinati: sicut & de Iuda legitur in Actis, Ideo præuaticatum fuisse, ut abiret in locum suum.

Quid verò fingam, Deum nullam gratiam præstiturum reprobis, nimis impudens est calumnia. Quasi verò nesciam, Iudā, Saulem, & alios reprobos, egregijs & multis gratijs Dei donatos fuisse, & quotidie donari: sed gratiā specialem, nimirum tum fauorem Dei ad æternam vitā, tum gratiā regenerationis: reprobis re ipsa non præstari, etiam si per Euangeliū offeratur, dico & affirmo cum sacris literis, & res ipsa confirmat. Ipsi enim neque regenerantur, neque seruantur.

13. Quid doceam, falsū esse, dicere, Omnes esse prædestinatos, si credant: Calumnia est Sophistica. Si de ipsa prædestinatione in se loquamur, docui, illā non fuisse factā cū conditione Si: quasi Deus sic dixerit intra se, *Ego omnes prædestino, si crediderint*: Proinde falsū esse, dicere, Omnes esse hac conditione prædestinatos ad vitam, si crediderint. Prædestinationē enim docui esse firmū gratuitū & absolutum Dei decretum quosdā seruandi ad æternam vitam, & ut possint seruari, eos redimendi per Christū, trahendi, vocandi, donandi fide, operibus bonis fidei, denique perseverantia in fide. Si verò loquamur de effectis & notis prædestinationis: docui, omnes illos verè esse prædestinatos, qui vera in Christum fide præditi sunt, & hac nota illos discerni à non prædestinatis. Nego igitur, prædestinationem ipsam esse conditionalē: nego causā prædestinationis esse fidem nostram: affirmo autē, fidē effectū esse & notā prædestinationis. Proinde calumnia est etiam nimis aperta, qua dicunt quidam, me negare, fidem esse notam prædestinationis.

Quod

QVOD defendam Stoicam necessitatem: calumnia est, Stoica necessitas, est ex certo causarum secundarum nexu atque ordine: Christiana autem, ex immutabili Dei decreto. Hanc defendo, non illam.

QVOD ponam in Deo contrarias voluntates: calumnia est. Vna tantum est voluntas Dei in se, quia est tantum vnus Deus volens. Cæterum Deum contraria velle, sed diuersa ratione: nempe aliquid absolute & simpliciter, aliquid tantum ex conditione: manifestum est. Absolute enim vult electos saluos fieri: ideo etiã dat illis, quæcunque ad salutem sunt necessaria, vnde & seruantur necessario. Conditionaliter verò vult vt alij omnes, etiam reprobj, seruentur, si ipsi velint credere, obedireque legi Dei: & hoc illis significatur per prædicationem verbi. At quia nec Deus vult donare ipsis fidem, nec ipsi ex se credere possunt, propter innatas tenebras & infidelitatem: ideo nõ possunt seruari. Vult igitur Deus, reprobos absolute non seruari: & hæc voluntas impletur: vult verò eos seruari ex conditione, si ipsi velint & possint credere: & hæc sola in nullo impletur. Si quis hos diuersos volendi modos diuersas appellet voluntates: fateor me has ponere in Deo: sed si loquatur de ipsa voluntatis essentia: nego me duas in Deo ponere voluntates: alioqui esset ponere duos Deos. Atque hæc etiam est doctrina Lutheri & Bucerij, post Augustinum, cum scribunt de Deo reuelato & abscondito, seu de voluntate reuelata & non reuelata.

QVOD dicam, Deum, quando vocat reprobos, aut aliquid promittit reprobis, illis illudere: quia nolit vt ad se veniant, nec illis quod promittit, dare: Respondeo. Deum vocare etiam reprobos, & mandare vt ad se veniant, salutemque illis promittere, si velint in Christum credere: manifestum est. Omnes enim vocat per verbum, & omnibus vitam promittit æternam, modò in Christum velint credere. Atque hæc est voluntas conditionalis. Eundem tamen Deum nolle absolute & simpliciter vt omnes veniant & seruentur: manifestum etiam est: quia si simpliciter hoc vellet, etiam fieret, iuxta dictum Prophetæ: Omnia quæcunque voluit, fecit: item iuxta illud Iesaiæ: Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet. Reprobis verò non illudi, cum à Domino vocantur: manifestum etiam est: quia si ipsi velint & possint venire, sicut ab illis exigitur, profectò à Domino recipiuntur, & seruabuntur. Culpa igitur in ipsis est. Atq; hoc satis est ad hoc, ne Deus dici possit cuiuspiam illudere. Exemplo nobis sunt primi inuitati ad cœnam. Si enim venissent, fuissent recepti. Quod verò alios iusserit compelli intrare (quo verbo indicat, illos quoque recusaturos fuisse, nisi fuissent compulsi intrare) gratia fuit specialis. Hac igitur vtitur erga electos: compellit enim quodammodo eos intrare, dum de nolentibus facit volentes. hac non dignatur reprobos: nec tamen illudit eis cum vocat: quia per ipsum non stat quin veniant & seruentur, si velint: sed defectus in illorum est voluntatibus. Ille dicitur illudere, qui aliquem ad cœnam inuitat, & postea, si veniat, repellit. Non sic facit Deus. Calumnia igitur est, me docuisse, Deum reprobis illudere, cum vocat, aut promittit.

QVOD abducam homines à Christo, & à patefacto suo Euangelio, doctrina de prædestinatione: Quæ est ista calumnia? Quasi ego doceam, quempiam esse prædestinatum ad vitam sine Christo: & doceam, homines debere extra Christum & Euangelium contemplari sui electionem?

QVOD doceam, decreto æterno interposito aliquos prohiberi, ne ad Christum accedant: Quasi verò ipsi homines velint & possint ad Christum accedere, nisi à decreto Dei impediuntur. Doceo, quicumq; volunt accedere, ideòq; accedunt ad Christum: iccirco accedere, quia trahuntur à Patre, suo Spiritu, ad Christum: & proinde, quia prædestinati fuerunt ad hunc patris tractum. Si qui autem nõ accedant: propterea illos nõ accedere, tñ quia nesciunt: (animalis enim homo nõ per-

capit ea quæ sunt Dei:) tū quia nolunt (est enim corrupta illorū voluntas) ideòq; non possunt (Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater illū traxerit,) ad Christū accedere. Vitio igitur ipsorum, non autem decreto & voluntate Dei interposita fieri, vt non accedant: doceo. Et si aliquando cum Scripturis dixi, reprobos ideò nō venire ad Christū, & in illum nō credere, quia nō sint ex ouibus, id est, quia nō sint ad hoc prædestinati: nō ideò hoc dixi, vt culpam in Deum transferrem: quasi ipsi potuissent venire, nisi Deus sua prædestinatione illos impediuisset: sed ideò cum Scripturis ita loquor, vt ostendam, adeò corruptam esse in Adamo humanā naturam, vt nisi Deus sua gratia illos trahat, ac proinde nisi decreuerit ab æterno in sua prædestinatione, illos trahere: nullo ipsi modo ad Christū venire, & seruari possint. Hoc autē docendo, nō transfertur culpa in Deum trahere nolentē (neq; enim tenetur vlla lege homines trahere) sed in ipsum hominem, venire suo vitio nescientem, detrectantē, non valentem: iubetur enim venire, & non venit. Atq; hinc patet solutio ad illam calumniā, qua traducor, quod doceam, reprobos ita à Deo efficaciter ad peccata compelli, vt non possint non peccare. Quasi verò ipsi per se possint non peccare, nisi à Deo vi ad peccandum adigantur. Quod enim homo peccat, habet ex se, atque ex innato ab ortu vitio, non autem à Deo, vt est apud Hoseam: *Perditio ex te Israel est.*

19. Qvò d sentiam, Deum nihil velle ex animo reprobis conferre: Quasi verò inuitus conferat in illos, quæcunque beneficia confert.

20. Qvò d doceam, Deum velle peccatum: & id non otiosè, sed efficaciter: Calumnia est. Huiusmodi enim verbis nunquam sum vsus: imò dicere, Deum velle peccatum, hoc est, eo delectari, vel, homines non posse nec potuisse peccare, nisi Deus malitiam peccati eis indat: vel deniq; hominibus mandare vt peccent: perpetuò docui esse blasphemiam. At Deum velle peccatū, hoc est, primò, voluisse & velle illud permittere: deinde, velle peccatum, quatenus est pœna peccati: doceo cum Augustino, Bucero, & Luthero.

21. Qvò d cuidā priuatim dixerim, reprobos ita necessariò peccare, vt etiam solucet: Dico, me nullo modo meminisse huiusmodi locutione vsus fuisse, vel publicè, vel priuatim. sed si vsus sum, nego me illā non declarasse in hunc sensum, quòd, sicut sol talis est naturæ, vt non possit nō lucere, ita reprobi atq; impij talis naturæ sint, hoc est, tam malæ, vt nō possint non peccare. Et, hoc est, Necessariò lucere, &, Necessariò peccare. Docet hoc Scripturæ. arbor enim mala nō potest bonos fructus facere. At discrimen est: quia sol talē naturā, ideòq; talem lucendi necessitatē accepit à Deo: homo autē corruptā hanc naturā, ideòq; peccandi necessitatē accepit ab Adamo, & ille nō nouit, aut vult quod agit, iste autē omnino.

22. Qvò d doceā, ex eodē æterno Dei consilio duos contrarios riuos effluere: alterū illuminationis; alterum excæcationis: Calumnia est. Talibus locutionibus vsus nunquam fui. Quasi verò ponā in Deo & lucē & tenebras, cū Apostolus, quē interpretabar, dicat, Deus lux est, & tenebrę in eo, sunt nullæ. Illud verò docui & doceo: si quis illuminetur, illuminari à Deo, pro ipsius misericordia: si quis excēctur, excēctari à Deo, pro suo iusto iudicio, in pœnā præcedētis peccati. omnis. n. pœna à Deo est: quia ipse est solus, qui mortificat, & viuificat: qui deducit ad inferos, & reducit.

23. Qvò d contendā, causā prædestinationis, nēpe voluntatē Dei, nobis esse incognitā & nō reuelatā: Respondeo. Docui, voluntatem hanc, quòd scilicet voluerit ex toto hominū genere quosdā ad æternā vitā eligere ac prædestinare, alios autem reprobare, ideòq; ad æternā mortem præfinire: in Scripturis esse reuelatā. At verò voluntatē hanc, nempe quòsnā ad vitā aut mortē prædestinarit: nō esse in Scripturis simpliciter de singulis reuelatā, sed tantum ab effectis prædestinationis probabiliter indicatā. Itē, cur maluerit vnū quā aliterū eligere: nobis esse incognitum.

Qvò d

Quòd non concedam, prædestinationem factam esse in Christo, & per Christum consistere, impudentissima est calumnia. Docui cum Apostolo, electos nos esse in Christo, non extra Christum: decreuit enim Deus Pater, seruare nos non simpliciter, sed per Christum. Illud quidem doceo, electionis primariam causam non fuisse merita & passionem Christi, sed solam Dei voluntatem & gratiã: voluntas enim Dei ad nos eligendos ac prædestinandos in eternam vitam, à nulla re extra se fuit mota, sed tantum à seipsa. Quare nec merita Christi fuerunt causa nostræ electionis primaria: quanquam sint causa (vt ita dicam) meritoria nostræ iustificationis. Quamobrem Iohan. 3. dilectionem præponit dationi & missioni filij, dicendo, *Sic Deus dilexit mundum* (hæc est prædestinatio) *vt filium suum unigenitum daret*. Hic est vnus effectus prædestinationis. Ideo enim misit filium, & decreuit ab æterno mittere, quia decreuerat nos seruare, non autem contrà.

DE PECCATIS SANCTORVM, DE QVE
illorum perseverantia in fide.

Quòd doceam, electos, etsi peccent contra conscientiam, non tamen ita peccare, vt gratiam Dei, remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum amittant, iram & mortem incurrant: calumnia est grauissima. Talem propositionem nemo vnquam ex me audiuit. Primum, Si per peccatum contra conscientiam, intelligunt peccatum, quod Paulus vocat regnans: docui & doceo, illud non cadere in electos iam renatos. Regnat enim in illis Christus, non peccatum: & aguntur à Spiritu Christi, non Sathang: alioqui non essent Christi, Rom. 8. & repugnant peccato, licet aliquando pugnando quodammodo succumbant. Si verò intelligant peccatum ex aliquo consensu, licet non pleno, admissum: (quo modo nonnunquam peccant sancti) docui & doceo, quantum in ipsis est, propter huiusmodi peccata eos omnino gratiam Dei & Spiritum sanctum amittere, & in iram mortemque æternam incurrere: sed quia Deus huiusmodi peccata electis, qui in Christo sunt, cõdonat, & nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant, Rom. 8. & sine pœnitentia sunt dona & vocatio, & nemo potest eos rapere de manu Christi seruatrice, & Christus pro eis rogauit, ne deficiat illorum fides, & Deus perpetuò conseruat in eis semẽ quo sunt regeneriti: iccirco docui, Etsi iis suis peccatis sancti iram Dei cõtra se prouocent: non tamen penitus excidere ab illa gratia, id est, fauore Dei, quo illos in Christo complexus est, & elegit in filios; manere enim eos perpetuò filios Dei, quanquam sæpè immorigeros: & Deum perpetuò manere illorum patrem, quanquam sæpè illis infensum & iratum. Remissionem etiam peccatorum semel condonatorum, non fieri in eis irritam: quia non potest fieri irrita, nisi per peccatum in Spiritum sanctum, seu per relapsum qui relapsus non cadit in electos. Etsi etiam suis grauibus peccatis Spiritum sanctum conturbant, fidemque labefactant & suffocant: non tamen vel illum penitus ab eis recedere, vel hanc prorsus in eis extinguere: quòd Deus perpetuò iuxta suam promissionem & propter precationem Christi, semẽ in illis conseruet: & doctrinam hanc, tum ad gloriam Dei amplificandam, tum ad fiduciam in Deum in Sanctis retinendam ac conseruandam pertinere.

Quòd verò dicunt, me dicere, Sanctos iis peccatis non incurrere in iram Dei, aperta est calumnia. Deus enim irascitur peccatis omnibus & omnium: id quod flagella etiam contra Sanctos testificantur. Et ipse ait, Quòd si filij mei dereliquerint Legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum. Sed aliud est ira Dei, aliud odium. Deus electis, cum peccant, irascitur: sed eos nunquam odit, quia quos semel ad æternam vitam dilexit: perpetuo in finem vsque diligit.

QUARE grauiſſima & apertiſſima eſt calumnia, cū dicunt, Me docere, electos donatos ſemel vera fide, etiam ſi peccent contra conſcientiam, & viuant ſceleratè, nunquam tamen amittere fidem. Primò ipſi addunt id, quod ego nūquam dixi: nempe etſi peccent contra conſcientiam, & viuant ſceleratè. Imò præter alia argumenta, quibus probaui, Sanctos non penitus amittere fidem, etiam hoc adieci, quod ſcilicet Sancti non admittant illud peccatum, propter quod ſolum, fides amitti poſſit, nempe peccatum regnās, ſed ſemper eos peccare aut ex ignorantia, aut ex infirmitate, nunquam ex animo ſeu tota voluntate, vel, vt Lutherus loquitur, ex deſtinata malitia. Deinde adimunt id, quod ſolitus eram adiecere, nempe penitus, prorſus, omnino, in totum. Cur autem quædam meis dictis adſiciant, quædam etiam detrahant, viderint ipſi.

QUOD docuerim, Dauidem, cū adulterium & cædem fecit, ſua mala voluntate non excuſſiſſe, aut potuiſſe excutere Spiritum ſanctum, quia in illis peccatis fuerunt actiones Dei: Calumnia eſt, & deprauatio meorum dictorum. Docui cum Bucero & aliis piis doctiſq; viris, Dauidem non penitus amiſiſſe fidem & Spiritum ſanctum, quum peccauit, non quòd ibi eſſent actiones Dei (eſt hæc ratio calumnioſe addita:) ſed tū quia ipſe non peccauit tota & plena voluntate, verum ex infirmitate fidei: (vt Bucerus ait tam in 7. Ro. quàm in libro de Reformatione Eccleſiæ: & in Pſal. 1.) tum quia Deus ſemè fidei in illo ſeruare voluit, iuxta ſuam promiſſionem. Quod addunt, Nec potuiſſe excutere: ſi referunt ad Dauidem ipſum, calumnia eſt. imò ipſe ex ſe non potuit niſi excutere. ſi ad Deum, verum eſt: quia Deo illam conſeruante, nos illam excutere penitus non valemus.

QUOD doceam, quando Dauid adulterium & cædem admittit: cor illius & voluntatem non conſenſiſſe in illam cædem & adulterium: calumnia eſt grauiſſima. Docui & doceo, quando pij electi peccant, nunquā ex animo, hoc eſt, plena voluntate eos peccare: quia quotieſcunque Sancti ex conſenſu peccant, etſi partim hoc eſt, ſecūdum carnem & voluntatē carnis, volunt peccatū: tamen partim, hoc eſt, ſecundum Spiritum & Spiritus voluntatem, peccatū nolunt: ſicut Apoſtolus docet Rom. 7. & poſt Auguſtinū, aliòſq; doctos viros, Bucerus in illud 7. ad Rom. & in 12. Matt. & in lib. de Reform. Eccleſiæ. & alibi ſæpè: ac proinde neq; Dauidem, cū illa admittit, alioquin grauiſſima ſcelera, neque Petrum, cū negauit Chriſtum, ex animo & tota voluntate peccaſſe, quemadmodum ſpeciatiim de iis duobus & Patres & Bucerus ipſe docuerūt. Aliud igitur eſt cōſentire in peccatū, aliud plena voluntate conſentire. Ariſtoteles ipſe in Ethicis tradidit: Nautā, cū propter tempeſtatem merces proiicit in mare, hoc facere partim ἐκόντα, partim ἀκόντα, partim volentem, partim nolentē, quod latini dicunt, nō ex animo, id eſt, non plena ſeu tota voluntate. Ac certum eſt: Electos renatos antequam peccent, odiſſe peccatū, & malle mori quàm peccare: poſtquā peccarunt, dolere & odiſſe peccatū: quū peccant, peccare non cū odio legis aut cōtemtu Dei, ſed ex infirmitate fidei. exēplū eſt in Petro. Nō igitur peccāt plena volūtate, vt faciūt reprobī.

QUOD doceam licentiam, reddāmq; homines licētioſos, calumnia eſt, imò in 2. cap. 1. Epiſt. Iohannis, quam interpretabar, docui multis, duo eſſe ſtudia, in quæ Chriſtiano homini perpetuò ſit incumbendum: ſtudium vitandi peccata, & ſeruandę legis Dei: in illa verba, Filioli mei, hæc ſcribo vobis vt ne peccetis: Et ſtudiū fiduciæ in Chriſto, & per Chriſtū in Patre collocandæ, in illa verba, Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem. Et ſtudia hæc duo ita eſſe coniūcta, vt alterū ab altero ſeparari non poſſit: in ea verba, In hoc ſcimus quòd cognouiſſimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit, Noui eum, & mādāta eius nō ſeruat, mendax eſt. Non ſum, non ſum tam improbus, aut imperitus voluntatis Dei in ſacris literis reuelatæ, vt vel velim vel poſſim auditoribus fenestram vitiorum

rum & licentiam aperire. Meæ lectiones tandem aliquando toti orbi patefaciēt, Deo volente, qualem doctrinam de moribus docuerim Argentinae. Sed simul etiam semper hoc in primis curavi, vt fiduciam in Deum firmarem.

QVARE quod dicūt etiam, me facere homines securos ista doctrina de perseverantia Sanctorum in fide: ad hoc respondeo, me cupere facere securos, nō in carne & in seipsis, sed in Spiritu & in Deo: & hanc securitatem inculcant S. literę, imō Euangelium totum huc spectat: vt reddat nos securos de æterna Dei erga nos benevolentia, ideōq; de æterna nostri electione in Christo, de nostri redemptione, ideōq; æterna salute per Christum: & quod, licet sepe nos pro nostra ingratitudine deseramus Deum quātum in nobis est, Deus tamen propter suam certam electionem & promissionem non deserat nos: proinde de nobis semper esse metuendū: vnde illud, Qui stat, videat ne cadat: sed de Deo semper debere nos esse securos, vnde illud, Fidelis autem Deus, qui non sinit vos tentari suprā quā ferre potestis. Distinguant igitur securitatem Spiritus à securitate carnis. Quod si aliqui securitate Spiritus abutuntur ad securitatem carnis, vitio ipsorum id fit, non meo. etiam tempore Apostolorum multi libertate Spiritus abutebantur ad libertatem carnis, vt est in Epist. ad Gal. & alibi, id quod etiam nunc fit: numquid igitur non debemus prædicare libertatem Spiritus & Euangelij?

QVOD negem, electos in atrocissima scelera ruere posse, calumnia est. Quasi nesciam & non doceam, Davidis scelera, adulterium & homicidium, fuisse atrocissima & grauissima. Doceo in electos nō posse cadere peccatū in Spiritū sanctū alioqui damnarentur. Doceo in Sanctis renatis non esse peccatū regnās, seu nō regnare peccatū, quia ibi regnat Christus, & Sathanas eiectus est foras. Sed quin in varia, & nonnunquā grauissima labantur peccata, nunquā sum inficiatus, nec possum inficiari. Sed sunt tamen semper lapsus, ideōque contra Spiritus & animi propositum. Est enim discrimen magnum, inter proicere se in lutum, vt faciunt fues: & labi in lutum, vt munditiei quoque studiosissimis iisdemque robustissimis hominibus contingit. Illo modo peccant reprobi: hoc verò pij electi.

QVOD tollam discrimen peccatorum, dum à renatis nego admitti peccatum mortale, calumnia est etiā, ex ignoratione, quid propriè in Scripturis sit & appelletur peccatū mortale, profecta. Duplex huius vocis in Scripturis significatio est. I. Omne peccatū quodcunque illud sit, mortale dici potest: quia licet sit vnū grauius, alio omnia tamen suapte natura sunt digna morte. Caterum quia peccata electis condonātur, nec imputantur ad mortem: ideò respectu personarum, quæ sunt in Christo, peccata ab ipsis admissa, mortalia dici non possunt. Quare in Renatis & vera fide præditis, omnia sunt venialia: in reprobis, omnia mortalia. II. Peccatum ad mortem speciatim appellatur ipsum peccatum in Spiritum sanctū. Hoc autē peccatum in electos cadere non potest, quia non remittitur: & proinde, qui hoc admittunt, seruari amplius nequeunt, quia nec resipiscere possunt. Et si igitur nego, & hoc peccatū ab electis admitti posse, & peccata, in quæ pij electi labuntur, esse in ipsis mortalia, non tamen inde sequitur, Me igitur tollere discrimen peccatorū. Non sum Stoicus, sed Christianus. Et facio primū discrimen inter peccatum originale, & actualia: deinde inter ipsa peccata actualia, quatenus vnum est grauius alio, tum in se: quia grauius est peccatū occidere hominē, quā tantū odisse: tū propter diuersas circumstantias: quia grauius peccatū est, peccare ex malitia & animo obstinato, quā ex infirmitate aut ignorantia. Tertiò facio discriminē inter peccatum in Spiritum sanctum, & reliqua peccata: quia hoc secum adfert impænitentiam, & ideò est irremissibile: alia non ita. Quartò differentiam constituo inter peccata piorum & impiorum. Sunt enim multæ inter hæc differentiæ. Postremò discrimino peccatum piorum, quod

in ipsis est, etsi non regnet, ab his quos Motus inordinatos appellant: & ab his, quæ ex aliquo consensu admittunt. Neq; verò ex eo, quod dixi peccata in piis electis semper esse venialia, aliquis pius rectè inferre poterit: Ergo possumus scortari, inebriari, furari, quia omnia peccata in piis electis sunt venialia. nam si quis hoc inferat: declarat se non esse ex istorum piorum & electorum numero. Pij enim talem consecutionem non faciunt: neque talia peccata cum ista sequela, & hoc animo admittunt. Etenim pugnant hæc ex diametro cum illo Spiritu Christi, quo donati sunt, & quo aguntur filij Dei, non secus atque pugnat cum spiritu veri legitimi filij, honestissimi patris virtutem edocti, si ex eo, quod audiuit se à patre ita amari, vt nullam ob causam velit se exhæredare, inde inferat, Ergo proiciam me in omnia scelera, etiamsi patri displiceant: quia nihil potest mihi ad damnationem nocere. Non possunt veri & virtute præditi filij hoc facere: Et si qui faciant, non sunt veri filij.

8. Qvòd negem, Sanctos quum peccant, in diuinam mortis æternæ sententiam incurrere: Calumnia est. Etsi enim doceo, Sanctos, cum peccant, quia non peccant ex animo seu plena voluntate, non amittere penitus fidem, Spiritum sanctum, & excidere prorsus à fide & Christo: non ideò tamen sequitur iuxta hæc doctrinam, Sanctos non grauiter Deum offendere, non Dei iram contra se prouocare, non fieri, quantum in ipsis est, reos æternæ mortis: ac proinde non opus habere resipiscencia, & nouo suæ fidei, quæ intus quasi suffocata latebat, actu, ad huius peccati remissionem consequendam. Nam etiam qui in aliquem incidunt morbum, eumque lethalem: etsi medicus dicat illos nondum esse mortuos, nec morituros; non inde tamen sequitur, illos igitur non opus habere medicina ad pristinam valetudinem consequendam: quam medicinam si negligant, pereant tandem necesse est. Sed Dominus facit, ne sancti hanc medicinam negligant. Statim enim post peccatum illis adest: & excitato in illis consopitæ fidei igne, facit vt reualecant. Atque hæc est causa cur electi perire non queant: non quia non incidant in lethales morbos, sed quia Dominus vt optimus medicus & amantissimus pater, semper illis adest, & ne pereant succurrit propter Christum: iuxta illud etiam Dauidis, iustus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus suam supponit manum.

DE SACRAMENTIS.

Qvòd, cum dico in Thesi: Sacramenta, verbi gratia, Baptismum, esse externum, visibile, & solubile vinculum, nihil aliud intelligam, quam illud non requiri ad regenerationem necessariò, sed solam occultam electionem, & afflatum arcantum Spiritus sancti sufficere: Respondeo. Me illis verbis hoc intellexisse, calumnia est. Verba mea sunt perspicua. Baptismum verò aquæ non ita necessariò requiri ad salutem, vt electionem & Spiritum Christi, doceo: sine illo enim, multi seruati sunt: sine istis, seruari nemo potest. At non sequitur me sentire: Baptismum nullo modo esse necessarium.

2. Qvòd doceam, electos non esse carne renatos, atque ita violem Baptismi & Spiritus sancti virtutem: calumnia est, profecta ex crassa ignorantia horum nominum, Carnis & Spiritus. Carnem vocant Scripturæ totum hominem, tam animam quam corpus: quatenus vtrumque ab Adamo corruptum, natum est. Eundem totum hominem vocant Spiritum: quatenus vtrumque ex Spiritu Christi renatum est, & perpetuò magis ac magis vtriusque renascentia perficitur. Cum igitur docui, electos non esse renatos carne iuxta Scripturas: declaravi, eos nondum esse plenè renatos, nempe quod ad carnem, id est, quoad illā partem, quam

tractam ex ipso Adamo adhuc retinent. Electos enim iustificatos, in hac vita perpetuò constare Spiritu & carne, quæ ambo perpetuò pugnant inter se; unde etiam fit, ut nunquam peccent tota voluntate: quia semper cōtra carnem, & peccatum pugnant renati. Sed aliquādo in pugna superior est caro: aliquando Spiritus, nunquam autem penitus expugnantur in hac vita, sicut caro à Spiritu, sic nec Spiritus à carne. Hinc etiam apparet: Calumniam esse, cum dicunt: me etiam Baptismi & Spiritus sancti, virtutem violare. Quod enim electi in hoc mundo non perfectè regenerentur: id non fit vitio Baptismi, aut imbecillitate Spiritus, sed dispensatione diuina.

3. QVOD, quia verbum & Sacramenta solubilia vincula appellauit: stabiliam impium Schvvenckfeldij delirium: Quid Schvvenckfeldius sentiat: nescio. Sed quæ ego docui, neque deliria esse, neque impietates, quanquam quiuis facillè videre potest: apparet etiam ex ipsis Academiarum iudiciis.

4. QVOD illis Thesisibus de vinculis, dirimam verbum, Sacramenta, Spiritum sanctum: atque ita corrigam Christum tanquam errantem, & agiter spiritu Schvvenckfeldico & Postellico, Calumnia est Sophistica & contumeliosa. Aliud est dirimere illa inter se: aliud dirimere in ipsis hominibus. Quoad primum, verbum & Sacramenta in ipso ministerio nunquam sunt sine Spiritu sancto: quia illis semper adest Spiritus sanctus: ut est apud Iesaiam. Spiritus verò sanctus non est ita alligatus vel verbo, vel Sacramentis: quin nonnunquam etiam sine illis operetur in cordibus Electorum, ut in infantibus, qui neque verbum audire, neque Sacramenta percipere possunt. Quod ad alterum: Etiam si Spiritus sanctus semper adsit verbo & Sacramentis in ipso ministerio: non semper tamen in ipsis hominibus sunt hæc tria inseparabiliter cōiuncta. In reprobis semper sunt diuisa, Spiritus regenerationis à verbo & Sacramentis. Audiunt enim verba, & recipiunt Sacramenta sed sine Spiritu regenerationis. In Electis etiam aliquando sunt disiuncta, antequam incipiant regenerari: sicut contigit Apostolo, qui & circumcisis fuerat & verbum audierat: tamen nunquam acceperat Spiritum regenerationis, nisi posteaquam fuit ad Christum cōuersus: ideo quicquid antea egerat boni, omnemque suam iustitiam, stercoribus comparat, Phil. 3. Vbi verò semel renati sunt: verbum & Sacramenta non dirimuntur à Spiritu sancto in renatis. Hinc responsio patet ad aliam similem calumniam: quod scilicet Euangelium & Sacramenta Spiritu sancto spoliem dum ea offeruntur impiis: rursus, dum offeruntur Electis, tum demum & Spiritum sanctum illis tribuam.

DE VI SPIRITVS SANCTI IN ELECTIS.

1. QVOD doceam: neminem posse resistere Spiritui sancto: Calumnia est. Quasi verò non legerim illud Stephani in Actis, Vos semper Spiritui sancto restitistis. Possunt omnes resistere suapte natura: sed ita efficax est in Electis Spiritus, ut non sinat illos prorsus & perpetuò reluctari.

2. QVOD, quia dico, homines resistere quidē posse Spiritui sancto, per externum tantum verbum loquenti, sed non posse resistere eidem intus persuadenti, atque trahenti: necessariò constituam duplicem Spiritum sanctum; vnum qui per verbum externum in Prophetis atque ministris loquatur, sed nō efficaciter: alterum, qui per seipsum intus loquatur sine verbo ministrorū efficaciter: Quasi vero non possit esse vnus idemque Spiritus, qui diuersa operetur: qui vni loquatur tantum per verbum externum: alteri per internum etiam afflatū: qui vni suadeat tantum, alteri persuadeat. Certè Paulus multa dona ait distribui ab vno eodemque Spiritu. Ergo dicendū etiā erit, duos esse Deos: vnū, qui misereatur: alterū, qui

qui induret: quia Paulus ait, Deum quosdam indurare, quorundam misereri. Sic redibitur ad Manichæos, qui à duobus effectorum generibus in mundo, à bono & malo, duos concludebāt esse Deos: vnum boni, alterum mali autorem. Dominus autem contrā ait: Ego Deus, creans bonum, & faciens malum. Ita idē est Spiritus, qui aliis per verbum tantum externum ineffaciter loquitur: aliis per internum etiam afflatum efficaciter persuadet: sicut idem Dominus, qui quosdam inuitauit ad cœnam, sed ineffaciter, quia non compulit eos venire: alios efficaciter inuitauit. Est igitur ineptissima Sophistica, à diuersitate actuum & operationum Spiritus sancti concludere, diuersos esse Spiritus sanctos. Hinc patet etiā responsio ad aliam similem huic calumniam, qua dicunt, me facere duo Euangelia, vnum vacuum à Spiritu Christi, alterum plenum Spiritus Christi.

3. Quid doceam, cur ex hominibus alij resistent Spiritui sancto, alij non resistent, causam esse non in ipsis hominibus, sed in Spiritu sancto, Calūnia est etiam Sophistica, & contumeliosa. Doceo, quod quidam resistent Spiritui sancto, causam in ipsis esse, non in Spiritu sancto, & eam esse naturalem rebellionem, in qua concepti & nati sumus, quāque à primo rebelle Adamo, patre nostro, duximus. Quod verò quidam non resistent, hoc illis esse à Spiritu sancto, qui non solum extrinsecus vocat, nec illorum modò mentes illuminat, verum etiam corda flectit ad sibi assentiendum. Est enim sicut omne malum, sic & inobediētia, à nobis: & sicut omne bonum, sic & obedientia à Spiritu sancto. Quare calumnia est Sophistica, quæ vtrumque simul coniungit, & ait, vtrumque me vni Spiritui sancto attribuere: cum vnum sit Spiritus sancti, alterum Spiritus humani.

Quid doceam Spiritum sanctum cum trahit suos, quasi vim illis facere: Calumnia est. Vis non fit voluntati: sed suauiter, verum efficaciter, illam trahit Spiritus sanctus, faciens de nolente volentem.

DE ACTIONE DEI IN IMPIIS.

Quid doceam: Reprobos per potentiam Dei compelli in peccata: Respondeo: Si intelligant Compelli, id est, cogi: calumnia est: sed si compelli accipiant pro induci, vt Christus, & tradi, vt Apostolus loquitur: verum est. Et Augustinus *Cōtra Iul. Pelag. lib. 5. cap. 3.* vsus est hoc verbo per Dei potentiam impelli: & ideò in oratione Dominica dicimus: Ne inferas nos in tentationem: quod idem est quod Impelli.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Quid doceam, duplicem esse rationem docendi Euangelium: vnam externam per ministerium hominū, quæ, si sola sit, inefficax est, alteram internam per ministerium Spiritus sancti: inde concludam, duo esse Euangelia: idque more Schvvenckfeldico: Apparet calumniā esse Sophisticam. Illam duplicem docendi rationem; vnam per ministerium hominum tantum: alteram per ministerium etiam Spiritus sancti, si ipsi negant: negant apertum verbum Dei.

DE PROMISSIONIBVS.

Quid doceam, Promissiones vniuersales de æterna salute, reipsa ad Electos tantum pertinere: inde ego doceam, Deū aliud loqui, & aliud sentire, atque ita Deum mentiri. Respondeo: Promissiones de æterna vita esse in se vniuersales, & vniuersaliter omnibus esse Dei nomine proponendas: apertè docet Dominus Iesus, quum ait: Ite in vniuersum mundum: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Easde tamē reipsa non per-

pertinere nisi ad Electos, quod scilicet in ijs solis suū habeant complementum: ex professo docet Apostolus ad Rom. cū demonstrat, et si omnes Iudæi, sint ex Abraham secundum carnem, & ad omnes factæ sint promissiones: nō omnes tamen esse verè filios, nempe secundum Spiritum & per fidem Abraham: quia non omnes filij promissionis: ideoque non ad omnes reipsa pertinere promissiones, sed tantū ad electos, qui eas fide recipiunt: quos proinde etiā filios promissionis vocat Apostolus. Quod verò inde inferunt Deum igitur aliud loqui, & aliud sentire, cū promittit etiam reprobis id, quod tamen ipsis nō est largiturus: illatio est Sophistica. Promittit Deus etiam reprobis vitā æternā, sed cum conditione, si credant: atque ita seriò hoc promittit, vt omnino, si velint & possint credere, daturus sit quod promittit. Non igitur aliud dicit, & aliud sentit. Quod verò non illis det fidem, aut etiam eam simpliciter illis promiserit, sicut Electis, vt apud Ierem. 31. & alibi: qua fide complementū promissionum de æterna vita consequantur: alia est ratio, quæ nobis inuestiganda non est, sed adoranda. Hoc enim ideo fit, quia Deus illos ad fidem & æternam vitā elegit: alios nō elegit. Elegit autem illos, non istos: quia sic ei placuit.

DE VOLVNTATE DEI.

Qvò doceam, voluntatem Dei non esse ex verbo cognoscendam: sed semper ad occultam illam recurrendum: Meram hanc esse calumniam, nemo non videt: si sciat, & quid profitear, nēpe S. literas, in quibus voluntas Dei reuelatur: & quod semper à proprijs cogitationibus & scriptis hominum, ad sacras literas, homines reuocem.

DE FINE CREATIONIS RERVM OMNIVM.

1. Qvò doceam, finem creationis esse æternam cū mortem tum vitam. Respondeo: Semper docui, vltimum & verum finem, non tantū creationis hominum, sed rerum omnium, esse gloriam Dei. Quia verò Deus glorificatur & ex sua in quosdam misericordia, & ex sua in alios iustitia: iccirco secundarios fines, esse tum vitam Electorum, tum mortem reprobatorum. De fine creationis Electorum, nulla est controuersia: de fine autem creationis reprobatorum, ait Scriptura Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus: (ecce vltimum & verum rerum omnium finem, gloriam Dei) etiam impium ad diem malum, id est, ad pœnam & mortem: ecce alterum finem. Idem docet Deus, & per Apostolum explicat, dicens de Pharaone: In hoc ipsū excitaui te: vt ostendam in te potentiam meam: Quasi dicat: In hunc finē condidi te, te regem feci, induravi, vt te perdam, & te perdendo potentiam meam toti orbi patefaciam.

DE MALEDICTIONIBVS DIVINIS,

& exccacatione.

Qvò doceam, Chananæos à Deo maledictos fuisse: nō propter sua facinora nefaria: sed tantū hoc fuisse factum ex occulto Dei iudicio. ô impudentem calumniam. Nemo enim maledicitur, nisi propter sua scelera. Cæterū cū ipsi etiam Iudæi, non minus grauiā sæpenumero, quàm Gentes admiserint facinora: quī factum sit, vt his non ita maledixerit, vt à se penitus reijceret, illis verò maxime: hoc doceo proficisci ex occulto Dei iudicio, qui quorundā statuit misereri, alijs verò maledicere, & eos indurare: quemadmodū etiā cū omnes & ex æquo peccauerimus in Adamo, quī factum sit, vt alios inde eruat & seruet, alios autem

ibi

ibi deferuerit & damnet, docui & doceo, alios quidē inde erui & seruari per gratiam; alios vero ibi deferi per occultum Dei iudicium, puniri autem propter sua scelera per iustitiam. Sophistica igitur est calumnia in illa negatiua. Non propter sua scelera: & in illa exclusiua, Sed tantum ex occulto Dei iudicio.

2. Quid doceam, homines non ex suo ipsorum vitio, sed Dei potius arcana voluntate excari, & non reconciliari per Euangelium: Etiam est calumnia Sophistica, inde profecta, quod confundunt causas, & diuidunt quæ sunt coniungenda. Deus ex sua voluntate sola, si non adsit causa excarnationis in homine, id est, peccatum, neminem excarat. Sua igitur voluntate excarat, quia vult excare: sed propter peccatum excarat, quia excarnationem infligit ut pœnam peccati. Cæterum cum omnes peccemus: quæ sit causa quæro, cur alios excaret, alios non excaret, sed potius illuminet: hanc dico esse solam Dei voluntatem: quia quos vult, indurat, & quorum vult, miseretur.

DE PASSIONE CHRISTI.

Quid, quia distinctionem illam Scholarum, Christum mortuum quidem esse pro omnibus sufficere, sed tantum pro Electis efficaciter, dixi non esse contemnendam: ideo accusem pretium sanguinis Christi inefficaciam: ac proinde quod sim blasphemus in mortem filij Dei: Calumnia est Sophistica. Inefficaciam non tribuo sanguini Christi: sed huius inefficaciam causam dico esse in reprobis, ipsam nimirum infidelitatem. Nam ut verè Christus dicatur pro nobis mortuus efficaciter: non requiritur tantum, ut mors Christi in sese sit efficax ad salutem: sed etiam ut sit efficax in nobis. Non potest autem in nobis habere suam efficaciam, nisi fide à nobis accipiat & nobis applicetur. Vinum quoque in se est efficax ad sitim tollendam: at nisi bibatur, in nobis efficax minimè fuerit. Idem de medicamento & cibis omnibus dici potest. Culpa igitur, cur inefficax sit mors Christi in reprobis, in ipsis reprobis residet, nempe infidelitas & fidei destitutio. Cæterum quia fides à Deo est, & hanc dat, dareque decreuit solis Electis, & spectato Dei proposito Christus tantum pro illis efficaciter mortuus est, qui credituri erant in se: sicut & in oratione ipse dixit, Non rogo pro mundo, sed pro iis qui credituri sunt in me: ideo spectato etiam Dei proposito, verè dicimus, Christum non esse mortuum efficaciter, nisi pro electis: hoc est, Dei propositum fuisse, ut in solis Electis mors Christi suam haberet efficacitatem. Calumnia igitur est, me accusare sanguinem Christi inefficaciam, inque mortem filij Dei esse contumeliosum: cum totam inefficaciam causam ponam, non in sanguine Christi, sed in ipsis reprobis, ipsorum nimirum infidelitatem.

DE PECCATO.

Quid doceam, peccatum esse iustum, hoc argumento: Quidquid Deus vult, iustum est. Est enim voluntas Dei omnis iustitiæ regula. Vult autem peccatum. Peccatum igitur est iustum: o Sophistas. Quis vnquam docuit, Deum velle peccatum simpliciter & quatenus est peccatum? est autem aliquid iustum, quatenus illud vult Deus. Peccatum igitur non est iustum, neque simpliciter, neque quatenus peccatum est. Cum dicimus Deum velle peccatum, illud bifariam semper declarauimus: Primò sic. Deum velle permittere peccatum, quatenus pro sua bonitate facit, ut illud cedat in gloriam suam, dum illud admissum, in aliquibus misericorditer tollit: in aliis verò iustissimè punit. Secundò sic, Deum velle peccatum, quatenus pœna est alterius peccati. Sic igitur rectè concludi, Peccati remissionem iustam

nam & bonam esse : & peccatum, quatenus est pœna alterius peccati, iustum etiam & bonum esse : quatenus verò nos illud facimus, iniustum est, quia contra voluntatem Dei reuelatam facimus & volumus.

DE COENA DOMINI.

Quòd ego sim Zuinglianus, neque id inficior. Ego verò dico atque protestor, sicut etiam in primâ meâ præfatione, quam publicè in Schola habui, protestatus sum : me neque esse Zuinglianum, neque Lutherianum, neque Calvinianum, neq; Bucerianum, sed Christianum. Lutherum quidem atque Zuinglium, Bucerum & Caluinum, Bullingerum & Mattyrem, aliosque nostri seculi doctissimos viros, tanquam egregia Spiritus sancti organa veneror atq; suspicio, illorumq; scripta magni facio : sed vnum solum Iesum Christum pro meo vero ita præceptore, sicut & seruatore agnosco : iccirco sicut in aliis fidei articulis, ita in articulo de cœna Domini, solum Christi verbum atq; doctrinam sequor. Quæcunq; verò ab hominibus, quicunque illi sint, vel verbo Dei addita vel detracta sunt, vel extra verbum Dei mihi tanquam necessaria ad salutem obtruduntur, denique omnes verborum Christi interpretationes, quæ apertè pugnant cum aliis manifestis Scripturarum locis ; aut quæ noua, sine necessitate, miracula inducunt ; aut quæ humanitatem Christi ab eius diuinitate separant, aut contrà humanitatem cum diuinitate confundunt, & naturam veri corporis physici organici tollunt ; aut quæ ullam secum adferunt idololatriam : omnia hæc tanquam non Christiana reiicio atque damno : & contrà, primùm sola Christi verba per Euangelistas recitata tam de pane, quàm de calice, toto corde amplector : deinde horum verborum interpretationem nullam aliam recipio, præter illam, quam idem Christus per Apostolum Paulum 1. Corinth. 10. attulit : nimirum panem quem frangimus in cœna, esse *κοινωνίαν* corporis ipsius. Quod enim Christus dixit, Hoc (id est, hic panis) est corpus meum : Apostolus explicauit dicendo : Panis est *κοινωνία* corporis Domini : vt apertè docuerit verba Christi, non esse iuxta τὸ ῥήτὸν accipienda, ita vt panis, propriè & realiter sit ipsum corpus Christi : cum lōge aliud sit *κοινωνία* alicuius rei, & ipsa res, cuius est *κοινωνία*. Quanquam neq; propriè panis est ipsa *κοινωνία* corporis : Sed id tantum, per quod, eo sensu, quo & per verbum habetur à nobis *κοινωνία*, vel potius habita coalescit. Proinde verba hæc Apostoli, bifariam explicari solent, nimirum : Panis quem frangimus, aut est id quo nobis communicatur corpus Christi : aut id, quo nos adducimur in *κοινωνίαν* corporis Christi : vel potius adducti, magis ac magis cum ipso in vnum coalescimus, & verò etiam inter nos : quando & Ecclesia, corpus Christi est. Quanquam autem id, per quod in *κοινωνίαν* corporis Christi verè adducimur, propriè est ipse Spiritus Christi : quia tamen hic Spiritus, quum ritè percipimus Sacramenta, nobis communicatur, & communicatus augetur, hoc est, vires suas magis ac magis exerit : idcirco per Sacramenta quoque dicimur in communionem Christi adduci : quemadmodum & per verbum mundari nos Christus dixit. Ideo igitur nos Sacramenta hæc ritè sumentes, dicimur accipere *κοινωνίαν* corporis Christi, & cum illo in vnum coalescere : quia reuera fideles, participatione Sacramentorum, sicut & participatione Euangelij, fiunt participes veri corporis & sanguinis Domini. Christus enim primò ait : Qui edit carnem meâ, (hoc verò est, nobis carnē Christi communicari :) deinde subdit, in me manet, & ego in illo : Hoc autē est nos vniri corpori Christi, & magis ac magis in vnum cum ipso coalescere. Proinde vtramque interpretationem coniungo & coniungendam esse censeo. Certum enim est ex toto Apostoli contextu, & argumēto, quod tractat : Apostolum his verbis significare voluisse, fideles

qui participant de mensa Domini, eos etiam participes fieri veri corporis & sanguinis Domini, & vnum cum ipso fieri. Hoc enim assuebat pro cōfessione apud fideles: ut inde inferret, quicumque igitur etiam participant de mensa Dæmoniorum, eos fieri ipsorum Dæmoniorum participes, & societatem cum ipsis contrahere. Atque in hanc sententiam omnes conseruiunt interpretes, tam Græci, quam Latini: Et tam veteres, quam recentiores. Itaque Oecumenius explicans rationem, cur calix benedictionis dicatur κοινωνία sanguinis Christi, ait: Συνάπτε γὰρ ἡμᾶς τῷ χρεῖσιν τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὡς μέλη τῆ κεφαλῆ, διὰ τῆς μεταλήψεως. Participatione igitur calicis participamus sanguinem Domini: huius autem participatione, vnimur Christo, ut membra capiti. Vnde apparet, qui non sunt membra Christi, eos non participare sanguinem Christi. Confirmat autem Apostolus hanc κοινωνίαν cum Christo per participationē corporis & sanguinis eius, inde, quod omnes nos, qui de eodem pane edimus, vnum sumus inter nos corpus: ac proinde omnes vni capiti Christo coniuncti: ὅτι, inquit, εἰς ἄρτον, ἐν σῶμα οἱ πολλοὶ ἐσμεν. Quasi dicat: Sicut enim panis, quem in multa frustra frangimus, & per quem corpus Christi nobis communicatur, vnus est, licet ex multis granis sit confectus: sic nos multi, qui de illo participamus, vnū corpus sumus: nepe sub Christo capite. Ideo rectè & eleganter Photius: Ἀποδείξας, inquit, ἐστὶ τῶ εἰρημένῳ, τὸ ἐπιγόμενον. πῶθεν γὰρ δῆλον, φησὶν, ὅτι τὸν ἄρτον, οὐ κλῶμεν, κοινωνία τῶ σώματος τῶ χρεῖσιν ἐστὶ: τῶ ἐστὶν, ἐπὶ εἰς κοινωνίαν ἡμᾶς τῶ σώματος συνάγει τῶ χρεῖσιν: πῶθεν δῆλον, ὅτι ἐν σῶμα ἐσμεν & καλέμεθα: οἱ πάντες χρεῖσιν συναπτόμενοι, ὡς τῶ κοινῷ σώματι κεφαλῆς: εἰ ἂν μὴ τῶ σώματι αὐτοῦ, & τῷ αἵματι εἰς κοινωνίαν συναπτόμεθα: νῦν ἂν ἐτέρῳ ἐν σῶμα ἦμεν, & ἐκαλέμεθα. Et Chrysostomus explicans vocem κοινωνίας, inquit, διὰ τὴν μὴ εἶπε μετοχή; ὅτι πλέον τι δηλῶσαι ἐβλήθη, & πολλὴ ἐνδείξασθαι τὴν συνάφειαν. & γὰρ τὸ μετέχειν μόνον & μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ & τὸ ἐνέσθαι κοινωνῶμεν. κατὰ περὶ γὰρ τὸ σῶμα ἐκείνο ἡνωταὶ τῷ χρεῖσιν: ὥτως & ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τῶ ἄρτος τέως ἐνέμεθα. Et paulo post explicans verba: ὅτι εἰς ἄρτον, ἐν σῶμα ἐσμεν οἱ πολλοὶ: inquit, πῶς λέγω κοινωνίαν, φησὶν; αὐτὸ ἐσμεν ἐκείνο τὸ σῶμα. πῶς ἄρτον; σῶμα χρεῖσιν: πῶς γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα χρεῖσιν: ἔχουσιν σῶματα πολλὰ, ἀλλὰ σῶμα ἓν. Quæ cum ita se habeant: ego ex his Apostoli verbis, mihi hæc de Cæna colligo capita perspicua atque certissima.

I. Commentum esse, dicere, vel panem mutata substantia verti in ipsum corpus Christi: vel corpus Christi in pane realiter esse aut delitescere. Illius ratio hæc est, quia Apostolus panem perpetuò vocat panem: & ait hunc esse κοινωνίαν corporis Christi, id est, quo corpus Domini nobis communicatur, & per consequens, quo nos magis ac magis Christo & Ecclesiæ incorporamur. Differt autem multum, id quo, ab eo quod, nobis communicatur, ac cui in vnum corpus coalescimus. Alterius ratio est: quia neque Christus dixit, in pane est corpus meum: neque Apostolus, in pane, quam frangimus est κοινωνία corporis Domini: Sed & ille, Hoc, id est, panis est corpus meum: Et iste, panis est κοινωνία corporis.

II. Commentum etiam esse, panem esse nudum Symbolum: & ideo in Cæna nihil accipi nisi panem. Apostolus enim ait, Panis est κοινωνία τῶ σώματος. Ergo cum frangitur & datur panis in terra: ipsum etiam corpus Christi vnà communicatur in cælo: & nos vicissim, digna huius perceptione, illi magis ac magis incorporamur: Vnde & ratio constat, cur Sacramentis nomina rerum, quarum sunt Sacramenta tribuantur.

III. Commentum etiam esse: extra vsum Cænæ vel panem dici posse corpus Christi; vel hoc pane distribui. Paulus enim non ait simpliciter, Panis est κοινωνία: sed panis quem frangimus, (scilicet in ipsa Cæna Domini) est κοινωνία τῶ σώματος. Ergo tunc tantum est κοινωνία τῶ σώματος, cum frangitur in Cæna. Quare extra Cænam Domini non est κοινωνία τῶ σώματος, multo minus τὸ σῶμα.

IV. Cor.

IV. Corpus Christi manducari fide tantum. Huius autem duplex ratio ex verbis Apostoli colligitur. Primò ait: Panem esse *κοινωνίαν τοῦ σώματος* ☉, hoc est, ipsius Christi. Sed hanc *κοινωνίαν* perpetuò lego in Scripturis fieri tantum fide: vt Ioh. 6. docetur, item 1. Iohan. 5. & 1. Iohan. 1. neque vllibi in Scripturis docetur alius modus edendi corpus Christi, id est, Christum ipsum, quàm per fidem. Ait item Apostolus Ephes. 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Quid est autem edere carnem Christi aliud, quàm eum ita recipere, vt in nobis inhabitet atque maneat, nos alat: atque viuificet? Alium igitur modum non recipio, donec ille è Scripturis apertè demonstretur. Deinde ait esse *κοινωνίαν τοῦ σώματος* ☉. Corpus autem Christi cibus est spiritualis, & animæ, non corporis aut ventris. Spiritu igitur tantum recipitur: & hoc modo sum contentus: quia est certus & salutaris & sufficiens ad salutem. Vt taceam, quòd sicut agnus paschalis non edebatur nisi mactatus: sic nec corpus Christi, nisi quatenus pro nobis in mortem traditum est, edi: nec sanguis, nisi quatenus effusus est è venis, bibi potest. Nam neque alia ratione Christus, vel illud edendum, vel hunc bibendum dat: vt apertè verba eius declarant: Quod pro nobis traditur: qui pro vobis effunditur. Corpus autem Christi in calo iam viuit, & sanguis eius in venis est. Edi igitur non potest & bibi: nisi animo per fidem, mortem eius commemorante & acceptante, vique Spiritus sancti sibi applicante, veluti *λύτρον* redemptionis nostræ.

V. A solis fidelibus ipsum corpus Christi, seu Christum ipsum verè percipi ac manducari. Primùm ait Apostolus: Panis quem frangimus (scilicet nos fideles in Cœna) est *κοινωνία τοῦ σώματος*, nempe nobis qui frangimus, hoc est fidelibus. Cum autem dicit Nos, intelligit iuxta consuetudinem Scripturarum veros fideles, & veros discipulos Christi: quòd hypocritæ ad Christum non pertineant. ad solos igitur veros fideles pertinet *κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ κυρίου*. Deinde inquit: vnū corpus & vnum panē esse nos omnes: qui de vno pane & de vno calice participamus. Cùm ait, de vno pane: intelligit de pane, quatenus panis ille est *κοινωνία τοῦ σώματος* ☉: hypocritæ autem nō sunt vnum corpus cum Ecclesia Sanctorū, neque sunt eius membra: quia licet sint in Ecclesia, non sunt tamen De Ecclesia. Non ergo ipsi participant de eodē pane, qui scilicet est *κοινωνία τοῦ σώματος* ☉: hoc est, nō fiunt participes eiusdē corporis Christi pane fidelibus communicati: vt tale sit argumentū: Illi tantum participant de eodē pane & calice, hoc est, de corpore & sanguine Christi, pane & vinò in Cœna communicati: qui sunt vnum corpus & vnus panis cum Christo & Ecclesia, quæ est corpus ipsius. Sunt enim hæc *ἀντιπερίφοροι*: Vnum corpus & vnus panis multi sumus, omnes qui de vno pane (quatenus est *κοινωνία* corporis) & de vno calice (quatenus est *κοινωνία* sanguinis) participamus: & Nos tantum participamus de eodē pane (vt est *κοινωνία* corporis) & de eodem calice (vt est *κοινωνία* sanguinis) hoc est, de eodē corpore & de eodē sanguine Iesu Christi per panem & calicem communicatis, omnes, qui vnum corpus sumus, & vnus panis, cū Christo scilicet & eius Ecclesia. Atqui impij qui sine vera sunt fide, non sunt vnum corpus & vnus panis cū Christo & Ecclesia. Non enim pertinent ad Christum: neque membra sunt Ecclesiæ. Non igitur impij participant cū pijs de eodem corpore & sanguine Christi, qui pane & vino in Cœna communicantur. Ac quis neget, solos viuentes cibus quoque vesci posse? Non enim mortui vescuntur. Soli autem credentes, spiritualiter ex fide viuunt: impij verò planè mortui sunt. Soli igitur credentes spirituali alimonia, quæ est corpus & sanguis Christi, vesci possunt. De ijs autem loqui Apostolum, cum ait: Nos qui de vno pane & calice participamus: mihi dubium non est. Adde quòd verba Christi manifestè docent: Et illis duntaxat reapse edendum ac bibendum exhiberi: tantum etiā ab illis verè edi & bibi: pro quibus traditū est corpus, & sanguis effusus in remissio-

nem peccatorum. Pro solis autem electis obtulit se Christus, non pro mundo, hoc est, pro reprobis incredulis: quemadmodum neque se pro illis orare, sed tantum pro credituris in se, apertis rotundisque verbis dixit in precatone ad patrem. offertur quidem omnibus, sicut & pro omnibus sufficienter (ut loquuntur Scholastici) mortuus est: sed re ipsa, ab illis tantum qui credunt, tam est Sacramentis, quam ex verbo percipitur.

VI. Præcipuum finem atque usum huius Sacramenti esse: ut unio, quam habemus cum Christo per fidem, & inter nos per charitatem, frequentatione huius Cœnæ magis ac magis coalescat. Ait enim Apostolus: Vnus panis & unum corpus multi sumus: omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. In hunc igitur finem instituta est hæc participatio, ut simus unum corpus & unus panis, cum Christo nimirum & inter nos. Quare toto cælo illos dico errare, qui dum digladiantur sine causa de hoc Sacramento, tantum ut nescio quas dicendi formulas ab hominibus excogitatas, & à Scriptura etiã alienas, mordicus defendant: hoc unum corpus & hunc unum panem dilaniant in frusta.

Hæc sunt capita præcipua, quæ ex verbis Christi explicatis ab Apostolo mihi colligo: & in ijs acquiesco. Nō sum igitur vel Zuinglianus, vel Lutherianus, quia nec Zuinglium nec Lutherum sequor, sed Christianus, quia Christum. Atque utinam tandem aliquando facessant ab Ecclesia hæc cognomina, & solum Christi nomen obtineat. Tunc speraui pacem Ecclesiæ.

Fuerunt & aliæ de me sparsæ calumniæ, vel potius (ut modestius loquar) falsæ sequelæ, ex mea doctrina malè intellecta à quibusdam ἀσυνλογίως illatæ: Sed hæc sunt præcipuæ, ad quas respondere non solum operæpretium, sed planè necessarium mihi fuisse iudicavi.

